



~~PH.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

VI-27
SIGNAT. CLVCCCCXIII.

St. Mikkel. alced

41

DOCTRINA
 DE REALI COMMUNI-
 CATIONE IDIOMATVM IN PER-
 sona Iesu Christi, planis & perspicuis thesi-
 bus orthodoxè exposita, & verbali seu
 fictitiæ Calvinistarum commu-
 nicationi opposita

M. HENRICO BERNDES
 Ecclesiæ VVismariensi.



WITEBERGAE,
 Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1596.



MAGNIFICIS, AMPLISSI-
MIS, CLARISSIMIS AC CONSVL-
TISSIMIS VIRIS, PIETATE,
prudentia, Eloquentia & autho-
ritate præstantissi-
mis

Dn. HENRICO CAMERARIO, I. V. D.
ET IN ACADEMIA ROSTOCHIENSI PRO-
fessori, Illustrissimiq; principis & Domini, Dn. BVGISLAI
XIII, Pomeranorum &c, ducis
Cancellario,

Dn. HAIONI A NESSEN I. V. D.
ET PROFESSORI, ATQVE ILLVSTRISSI-
morum ducum Megapolensium &c.
consiliario.

Dn. GEORGIO PLATEN I. V. D. AC
REIPUB. WISMARIENSIS
Consuli ac Syndico,

Dn. BARTHOLDO KICHLERO I. V. D.
ET AVLÆ MEGAPOLITANÆ ADVOCATO
Domini patronis & affinibus suis reverenter
& officiosè colendis

Observantia & gratitudinis ergò dicat
& offert.

M. Henricus Berndes Ecclesiastes
Wismariensis,

Thesis I.



Veritur an humanae in Christo naturae in, ex & per unionem hypostaticam realiter, hoc est, verè ac re ipsa communicata sint divinae naturae idiomata, seu num natura humana Christi, in, ex & per unionem hypostaticam divinarum proprietatum particeps facta sit?

II.

Ad hanc quaestionem a Calviniani simpliciter negativè respondent.

III.

Verum orthodoxa Ecclesia semper credidit & adhuc credit ac profiteretur, humanam Christi naturam, per unionem personalem, cum divina natura, ejusdem idiomatum non tantum titulorenis, secundum phrasin seu modum loquendi, seu verbaliter, sed realiter hoc est, verè ac re ipsa participem factam esse.

IV.

Nullam hic physicam transfusionem aut effusionem, nullam naturalem commixtionem, nullam essentialem exaequationem fingimus, sed omnem Eutychanam, Suenckfeldianam, Anabaptisticam & quamvis naturarum permutationem toto pectore rejicimus, damnamus & detestamur.

V.

Neque unquam in mentem nobis venit, haec divina Idiomata, humanae Christi naturae, ex se, in se, secundum se, & per se, subjective, habitualiter, essentialiter in abstracto aut abstractivè ascribere.

VI.

Sed personalem hoc est ex unione personali emanantem communicationem, qua humana natura non ratione suae essentialitatis sed personae, in qua subsistit, divinis proprietatibus, non verbaliter, sed realiter seu verè ditata est, certa *πληροφορία* credimus & profiteamur.

VII.

1. Qualis enim est Unio, talis etiam est communicatio. Atqui unio divinae & humanae naturae in Christo non verbalis, neque physica, sed realis est. Ergo communicatio, licet nec verbalis nec physica sit, realis tamen est ac verissima.

VIII.

2. Quicquid Christo in tempore datum est, secundum naturam assumptam ei competere certum est. At divina Majestas dicitur

A 2

Christo

Beza cum
ὁμοψύχοις
in collo-
quio Mon-
pel. Pe-
zelius &
Gradius
contra D.
Hunnium.
Paræus in
Methodo
Gryneus
in thesib.

Athanas.
apud
Theodo-
retii Dia-
logo 1. Cy-
rillus &
alijs.

Christo data in tempore. Id quod in sequentibus clarè demonstrabitur.
Ergo Christo secundum assumptam naturam competit.

I X.

3. Secundum divinam naturam Christus exaltari non potest, sed secundum humanam, quomodo enim altissimus exaltari potest? At qui per Majestatem divinam Christus exaltatur, Ergo hæc Majestas Christo convenit non secundam divinam, sed humanam naturam.

X.

4. Si scriptura, ubi de communicatione idiomatum agit, humanam naturam exprimit, certum est Christum secundum eam, divinæ majestatis participem factam esse.

X I.

Scriptura autem disertè ad humanam naturam digitum intendit. Id quod ex sequentibus planissimum est, Iohan. 5. Dedit filio potestatem judicium faciendi, *Quia filius hominis est*, Heb. 2. Videmus Iesum propter passionem mortis, gloria & honore coronatum & constitutum super omnia opera Dei & omnia ei subjecta sub pedibus ejus. Luc. 1. Dabit ei Dominus sedem patris sui David. Luc. 22. Ex hoc erit *filius hominis* sedens à dextris virtutis Dei, Ioh. 6. *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus &c.* Heb. 9. *Sanguis Christi emundat conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Col. 2. In ipso habitat omnis plenitudo *τῆς θεότητος* corporaliter: Et in ipso absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ. Quod dictum Iustinus in expos: fidei expressè de humana natura interpretatur. Et si de divina natura intelligerentur voces (*In Ipso*) statuendum esset, plenitudinem Deitatis in seipsa habitare, ut Cyrillus libro posteriore ad reginas ait: In quo igitur habitavit omnis plenitudo Deitatis corporaliter? Propriè quidem & seorsim in natura verbi putare hoc esse factum *Valdè stultum* foret: Nam perinde esset, ac si diceres, quod ipse unigenitus habitavit in seipso.

X I I.

5. Est profectò infimæ unionis nullam communicationem inter res unitas parere. Sed unio duarum naturarum non est infima, sed omnium summa & arctissima nempe personalis, Ergo absq; communicatione esse nequit.

X I I I.

6. Qua quæso ratione Christus homo, verè ac realiter Deus dici posset, si Christus secundum suam humanam naturam cujus ratione homo dicitur, nullam cum divinæ naturæ proprietatibus haberet communionem?

Quo

Aug: Epistola 57.
In Christi Corpore tanquã in suo tẽplo habitat Deus,
Atha: contra Apollinarianum.
Plenitudinẽ illam, quã Paulus nominat in Carne habitare intelligendũ est.
Ibidem. In Christo hoc est In Carne habitat omnis plenitudo Deitatis corporalis
scr.

XIV.

7. Quomodo Christus homo pro hominibus sufficiens λυττος persolvere, mortem vincere, æternam ac cœlestem gratiam reparare potuit, nisi divinæ majestatis particeps facta sit, ex & per unionem humana Christi natura, secundum quam homo est & frater noster?

XV.

8. Quomodo abjecta, perdita & maledicta natura humana in gloriam cœlestem, unde exciderat, reduci potest, nisi ea, in Christo divinam ac æternam majestatem acceperit Dan. 7? & eadem gloria, quã secundum divinam naturam habuit apud patrem antequam mundus fieret, glorificata sit? Iohan. 7.

XVI.

9. Vnde Leo citat Chrysostomi sententiam, Cognoscamus, quæ natura sit, cui pater dixit: Esto meæ particeps sedis, Illa natura est, cui dictum est: Terra es & in terram ibis.

XVII.

10. Vnde Iesu Christi veri hominis fratris tui in ærumnis præsentiam, in persecutionibus præsidium, in morbis medicinam, in peccatis iustitiam, in morte ipsa vitam, fraterno ipsius animo nixus, certò & indubiè tibi polliceri potes, nisi divina majestas Christo homini et fratri tuo communicata sit? XVIII.

11. Neq; contemnendum est temerè orthodoxorum patrum, uno ore huic nostræ sententiæ astipulantium iudicium, nec reverandæ antiquitatis censura contemptim respuenda est.

XIX.

Ideo catervatim ex patribus deprompta testimonia à nostræ partis Theologis alibi recitantur. Vnum atq; alterum hic repetere haud incommodum est.

XX.

12. Iustinus in expos. fidei: Corpus manet corpus, non enim est Deus, Particeps autem factum est Divinæ dignitatis.

XXI.

13. Origenes hom. 2. in Iohannem: λογος incarnatus, Dominus noster Iesus Christus plenitudinem gratiæ secundum humanitatem accepit, quoniam caput est Ecclesiæ & primogenitus universæ creaturæ.

XXII.

14. Eusebius Emislenus ferm: feria 5. post passionis Dominicam. Nos etiam secundum humanitatem omni virtute & gratia Christum plenum esse confitemur.

Clem in lib. de Unione personali. Hunnius lib. 2. de duabus naturis in Christo. Marbachius de communicatione idiomatum.



XXIII.

15. Basilius in Psal. 21. *Natura assumpta Divinitati assumentem eam, est unita, ejusdemque gloria & honoris particeps ac consors facta.*

XXIV.

16. Cyrillus libro 8. thesaur: cap. 1. *Est natura humane proprium a Deo accipere; quid enim habet, quod non accepit, ut scribitur? Ut homo igitur per gratiam a Deitate accepit, quæ ut Deus naturaliter habet.*

XXV.

17. Et huc pertinent dicta illa patrum, quibus refutatur impia Calvinianorum sententia, qua asserunt, Vti Deitas non sit mortua, ita humanam Christi naturam nullo modo divinorum Idiomatum participem factam dicendam esse.

XXVI.

1. Ingens enim primò est naturarum diversitas, siquidem divina natura simpliciter est immutabilis & omnium passionum expers, proinde nec in meliorem, nec in peiorem statum mutari potest: vicissim humana natura mutabilis est, quia perfici & in meliorem statum per unionem transferri potuit.

XXVII.

2. Deinde divinitatis est dare, humanitatis verò accipere, & natura assumens perficit assumptam, non è contrario assumpta assummentem.

XXVIII.

3. Præterea scriptura non recipit reciprocationem illam, quam Calviniani urgent: Ioh. 6. enim Christi caro vivifica dicitur, at Divinitatem esse mortuam nusquam legimus

XXIX.

4. Patres hac de re ita loquantur: Basilius in sanct. Nativitatem: Sicut ignis ferri proprietates non transsumit; sic sanè etiam humana Domini caro ipsa particeps facta est Deitatis, non propriam suam tradidit Deitati imbecillitatem.

XXX.

5. Gregorius Nyssenus: Deus λόγος nunquam per communionem, quæ est ad corpus & animam, alteratur, neque particeps est eorum imperfectionis, sed tradit eis (corpori & animæ) Divinitatis suæ virtutem.

XXXI.

6. Eulèbius lib. 4. cap. 13. Verbum ex seipso sua cōmunicabat homini, non autem vicissim ex natura mortali ea, quæ ipsius sunt, in se recipiebat: & divinam quidem virtutem mortali subministrabat, non autem vicissim ad consortium mortalitatis Natura verbi detracta est.

Cyri-

XXXII.

7. Cyrillus de incarn: Unigeniti cap.8. Vnitus humanitati λόγος non projecit, quod fuit; transformavit autem magis assumptam naturam in suam gloriam & operationem.

XXXIII.

8. August: contra Felicianum: Injuria sui corporis affectam non fateor Deitatem, sicut maiestate Deitatis glorificatam novimus carnem.

XXXIV.

9. Damascenus lib.3. cap.7. Divina natura ipsa quidem proprias glorificationes Carni communicat, cum ipsa maneat impassibilis & immunis passionum carnis. Nam si sol nobis proprias actiones tradens, nostrarum manet expertus, quanto magis solis factor & Dominus. Idem. Proprias glorificationes divinitas corpori communicat, at ipsa permanebat passionum carnis immunis. Non enim quæ admodum per carnem divinitas Verbi operabatur, hunc & in modum per divinitatem ejus caro patiebatur, Nam caro divinitatis organum erat.

XXXV.

Objicitur ab adversarijs, fieri hoc modo naturarum exæquationem.

XXXVI.

1. Sed quomodo humana natura divinæ exæquabitur, cū divina idiomata non asseramus humanæ naturæ competere κατ' ἑσῆαν ἀλλ' ἐξουσίαν, neq; naturaliter, sed personaliter, neq; in se tanquam in subiecto, neq; ex se originaliter, neq; secundam se proprietate naturæ; sed in persona, in qua humana natura verè ac realiter subsistit.

XXXVII.

Certissimam victoriam ex hoc argumento sibi somniant: Humanæ Christi naturæ omnia divina Idiomata communicantur aut nulla. Quia sunt ἀμέγιστον τῆ. Sed non omnia; Namq; sic humana natura facta esset Spiritus, Infinita & æterna, Ergo nulla.

XXXVIII.

Resp. 1. per distinctionem: Quædam idiomata ita communicantur humanæ naturæ, ut possint de ea directè prædicari, ut omnipotentia, vivificatio &c, de quibus paulò post. Quædam ita ei communicantur, ut non possint de ea directè prædicari, ut spiritualitas, infinitas, æternitas.

XXXIX.

Deinde quædam divina idiomata prædicantur de humana Christi natura immediate; quædam mediantibus his, hoc est, mediate. Ut: non dicimus quidè humana natura est infinita; sed tamen di-

cinus

imus: est potentiae & majestatis infinitae Matth. 28. Ita non dicimus: Humana natura Christi est aeterna, sed tamen, habet aeternam potestatem Dan. 7. & est aeterna, quod ad finem, licet non quod ad initium; spiritualibus etiam donis praedita est, quamvis in spiritualem essentiam minimè mutata. Subsistit etiam humana natura in persona spirituali, infinita & aeterna. XL.

Ex his apparet, qua ratione minor concedi possit, & quid inde rectè eliciatur. XL I.

Finitum porrò ajunt, non est capax infiniti. Humana natura est finita. Ergo Infinitorum Idiomatu divinorum capax esse non potest.

XL II.

Resp. concedimus argumentum de physica capacitate intellectum. Sed si in hoc mysterio communicationis, locum inveniret, tum ipsam unionem everteret; Neq; enim verbum caro fieri neq; omnis plenitudo Deitatis in Christo hoc est, in Carne, ut supra dictum est, habitare posset. XL III.

Sed cum principia debeant esse homogenea, propria ac vernacula, relegatur hoc physicum principium ad forum suum, ut valeat, ibi quantum possit. XL IV.

Ita argumentantur: Dici de aliquo requirit inesse. Divina Idiomatica de humana natura dicuntur. Ergo humanae naturae insunt.

XL V.

Iohan. 1.
Resp. concedi potest argumentum dextrè intellectum. Sed adversarij voce (inesse) subjectivam inhaerentiam nobis affingunt, quam supra rejecimus. Nos per vocem, inesse, personale inhabitationem intelligentes argumentum acceptamus.

XL VI.

An non, inquiunt, cum dicitis, Humana natura Christi est particeps divinae Majestatis, humana natura est subjectum? quid igitur divinam Majestatem illi tanquam subjecto inesse inficiamini?

XL VII.

Col. 2.
Respondeo Aliud est subjectum Logicum seu propositionis, aliud subjectum physicum. Humanam Christi naturam subjectum propositionis esse concedimus, sed subjectum physicum in dictis propositionibus esse pernegamus.

XL VIII.

Atq; his ita positis, rectè ad ea idiomatica progredimur, quae sacra scriptura ἀνθρώπου de humana Christi natura praedicat, quorum quaedam in specie ex quibus de reliquis iudicium fieri potest proferemus. De

De omnipotentia & dominio uniuersali.

XLIX.

Primò humanam Christi naturam Omnipotentiae, diuinæ adeoq; dominij non tantum super Ecclesiam, sed etiam super omnes creaturas in caelo & in terra participem factam esse asserimus.

L.

Negant hoc Caluinianj & pro contraria blasphema sententia acerrimè pugnant.

LI.

Alij non ipsam omnipotentiam sed mediam quandam potentiam et creatam quandam potestatem, quæ Christo competat ratione officij, hic fingunt.

Viteb. in
Grundfest
Amling.
contra
Mattheū.
Pezelius.
Danzus.

LII.

Alij secundum Diuinam naturam Christo Omnipotentiam competere asserunt.

LIII.

Sed falsam esse hanc Inficiationem & veram nostram assertionem, sequentia demonstrant.

LIV.

1. Matt: 28. Data est mihi OMNIS potestas IN Cælo & in terra. Dan: 7. 2. Filio hominis data æterna potestas 3. Ne quis discrimen hic inter ἐξουσίαν & δυνάμιν fingat, angelus apoc: 5. vocem ἐξουσίας per vocabula δυνάμιν, ἰσχύον καὶ κράτος interpretantur? 4. Ps. 8. Omnia subiecti sub pedibus eius ubi per μεγαλοῦν uniuersale Dominium Christi hominis exponitur, 5. Eph. 1. Sedere fecit eum in caelestibus ad dextram suam supra omnem principatum ac potestatem ac virtutem. 6. Phil. 2. Quapropter & illum in summam extulit sublimitatem 7. 1. Cor. 15. Omnia subiecit sub pedes illi, Item Omnia ej subiecta sunt 8. Ps. 110. Dominare in medio inimicorum tuorum. 9. Rom. 14. Ideo mortuus est Christus & resurrexit, ut uiuis & mortuis dominetur. 10. Ebr. 2. In hoc quod illi subiecit omnia, nihil omisit illi non subiectum. 11. Act. 2. Certò sciat ergo tota domus Israel quod Dominum & Christum fecerit Deus hunc Iesum, quem vos crucifixistis, 12. Matt. 11. Omnia mihi tradita sunt à patre meo.

LV.

13. Ascribam unicam Leonis sententiam epistola. 22. de verbis Eph. 1. Dicant aduersarij Veritatis, quando omnipotens pater vel secundum

B

dum

Quamquam naturam filium suum super uniuersa prorexit, vel cuius naturae cuncta subiecerit? Deitas enim uerbi par in omnibus, & *eternus* est patri atque intemporaliter una eademque potentia est genitoris & genitij. Creator quippe omnium creaturarum, quoniam per ipsum facta sunt omnia & sine ipso factum est nihil, superest omnibus, quae creauit. Nec unquam creatori suo non fuerunt non subiecta, quae condidit, cui proprium ac sempiternum est, nec aliunde, quam de patre, nec aliud esse, quam pater est. Huic si addita potestas est, si illustrata dignitas, minor erat prorexit qui creuit, nec habebat diuitias eius naturae, cuius indignuit largitate. *Sed talia sententem, in societatem suam Arrius rapit. Cuius peruersitati multum haec suffragatur impietas.*

LVI.

24. Idem: Natura fragilis. natura contempta omnia uicit, omnia superavit & omnibus hodierna de meruit excelsior reperiri. Hodie Angeli & Archangeli naturam nostram in sede Dominica immortalis fulgentem gloria peruiderunt.

LVII.

25. Damascenus oratione 3. de imaginibus. Natura quidem nostra propter mortem & crassam corporis constitutionem est angelis minor, sed benignitate conjunctioneque Dei major angelis facta est. Assistent enim Angeli cum timore & tremore humanae naturae in gloriae throno inidenti.

LVIII.

26. Ita nostri seculi Elias D. Lutherus dictum Matth 23. interpretatur: Dara est mihi omnis potestas. Cui mihi? Mihi Iesu Nazaraeno Mariae filio & homini nato. Ab aeterno habui eam a patre, priusquam homo fierem: At postquam homo factus sum, in tempore eam accepi secundum humanitatem & occultavi illam ad meam usque resurrectionem & ascensionem, ubi manifestari & illustrari debuit.

De omnipraesentia seu ubiuitate.

LIX.

Quaeritur jam ulterius, utrum Christus hanc omnipotentiam exerceat & hoc universale dominium omnium creaturarum exerceat secundum humanam naturam praesens, an uero absens?

Calvinia.

Calviniani Christum secundū humanam naturam cœlo inclu-
dunt & à gubernatione rerum prorsus remouent, tan. oque eum à
terris intervallo abesse autumant, quanto altissimum cœlum ab infi-
ma distat terra, nec ulla vi divina & omnipotentia fieri posse, ut
Christus secundum humanam naturam simul in cœlo & terra præ-
sens sit, impudenter & blasphemè scriptitant, simili usi I. à planeta
& orbe, II. Antwerpia & Oceano, III. à radice & arbore, IIII. ab
annulo & gemma preciosa, V. à sanguine & venis, VI. à liquore &
vasculo, VII. à piscibus & vivario. Quidam moderationis laudem au-
cupantes Theologi.

LXI.

Alij hoc dominium Christum præsentem secundum humanam
naturam quidem exercere consentunt, sed præsentiam ad Ecclesiam
tantum restringunt, à reliquis in terra creaturis pari eum cum Calvi-
niani intervallo deliungentes.

LXII.

Vtuntur hi simili à rege Hispaniarum sumpto, qui quidem Lis-
bonæ in aula regia præsens, in alijs regni & ditionum suarum par-
tibus præsens esse nequit, nisi forte ratione Majestatis, potētiae & gu-
bernationis.

LXIII.

Nos vero ex immotis fundamentis credimus & profitemur,
Christum nō tantum secundum divinam naturam, sed etiam huma-
nam ubique præsentem, omnes res nō tantum in Ecclesia, sed etiam
in cœlo & universa terra gubernare.

LXIV.

Neque hic illo modo humanæ naturæ essentiam physicè ex-
tendimus, expandim⁹ & dilatamus, neq; humanā naturam secundū
naturæ proprietatem, neq; secundum modum corporalem, crassum
mundanum aut physicum aut visibilem, neque secundum modum
glorificati corporis ubique præsentem esse statuimus, sed omnes es-
senciales proprietates & naturalia idiomata ei salva & integra re-
linquimus, quatenus secundum suam essentiam & essentielles pro-
prietates consideratur.

LXV.

Et tamen veram & realem hanc Christi secundum humanam
naturam omnipræsentiam ex verbo Dei asserimus, nempe persona-
lem, quatenus nimirum ea non in se & secundum naturæ suæ pro-
prietates ἀπλῶς, sed in hypostasi τῷ λόγῳ infinita & ubique præsen-

B 2

ti sub-

Esromus
in disput
Gramat
Bullinger
rus contra
Brentium.
Martyr in
Dialogo
Oecolap.
in Dial.
Colloquio
um Maul
brunnense
Beza in
Coll.
Momp.
Danzus
contra
Chemnitio



ei subsistit ἀδιαρίτως καὶ ἀδιασέτως inseparabiliter & indistan-
ter.

LXVI.

i. Est enim non pars Verbi, sed Verbum caro factum. Ioh. i. λόγος
igitur cum sit ubique, neque extra carnem: Carnem, hoc est, huma-
nam naturam ubique etiam esse certum est.

LXVII.

ii. Coll. 2. Omnis plenitudo Deitatis in Christo, : est, in huma-
na Christi natura, habitat σωματικῶς, Ergo extra humanam naturam
λόγος non est, quare humana natura in λόγῳ ubiq; præsenti est
ubique præsens.

LXVIII.

iii. Qui implet omnia est ubiq; præsens Ier. 23. Christus. secun-
dum humanam naturam implet omnia Eph. 4. Ergo?

LXIX.

iv. Cuius pedibus omnia sunt subiecta, ille omnibus præsens est.
Christi hominis pedibus omnia sunt subiecta, Ps. 8. Eph. 1. Heb. 2.
Ergo.

LXX.

v. Christus secundum humanam naturam Ecclesiae adest Matt:
18 Vbi duo aut tres &c. Matt: 23. Ecce Ego vobiscum sum, usq; ad cō-
summationem seculi. Cum autem Ecclesia non sit in uno terræ lo-
co, sed ubiq; dispersa; certò hinc etiam Omnipræsencia Christi ho-
minis demonstratur.

LXXI.

vi. Cæna Domini una hora, unoq; die in infinitis locis admini-
stratur. Vbicunque vero iuxta institutionem Christi peragitur, cer-
tò adest Christus secundum humanam naturam. Ergo uni cœli loco
non est Christus secundum humanam naturam inclusus.

LXXII.

lib. 3. vii. λόγος non habet partem extra partem, Ergo non ex parte
in carne, ex parte extra carnem est.

LXXIII.

viii. Si Christus secundum humanam naturam tantum est in cœlo,
illo cœli loco vnio personalis terminabitur. Atqui hoc absurdum
est.

LXXIV.

ix. Naturæ in Christo unite sunt ut Damascenus loquitur
ἀδιαρίτως, Ergo nulla locorum distantia inter eas fingenda est.

LXXV.

x. Si λόγος est etiam extra humanam naturam Christi, quæ erit differentia inter præsentiam Unionis personalis & inter præsentiam Gratiæ, qua Petro, Paulo & sanctis reliquis adest?

LXXVI.

xi. Humana natura Christi non subsistit, neq; est nisi in hypostasi seu persona τὸ λόγος omnipræsenti. Ergo ratione illius suæ hypostaseos est ubiq;.

LXXVII.

xii. Christus secundum humanam naturam ascendit in cælum, adeoq; supra omnes cælos Eph. 4. & exaltatus est supra omne, quod nominari potest, non tantum in seculo hoc, sed etiam futuro Eph. 1.

LXXVIII.

xiii. Nisi humana natura Christi est omnipræsens, sequitur reliquis Creaturis λόγος æquè esse præsentem, atque, assumptæ a se humanæ naturæ. Atqui λόγος humanam naturam toto genere sibi propinquiorem & præsentiozem habet, quam reliquas omnes creaturas, Ergo.

LXXIX.

xiv. Qui sedet ad dextram Dei, ille est ubiquæ. Quia dextera Dei est ubique Ps 139. Dextera significat ipsam diuinam Maiestatem Ps 118. Christus secundum humanam naturam sedet ad dextram Dei Heb. 1. Eph. 1. Mar. 16. Lu. 22. Matt. 26. &c Ergo.

LXXX.

xv. Locus non est de essentia corporis, ut Durandus lib. 3. distinct. 22. ait: De ratione corporis non est, ut sit in loco, cum ultima sphaera etiam iuxta Philosophorum sententiam non sit in loco. Et sicuti Deus potest facere, ut locus sit sine corpore, ita etiam potest facere, ut corpus sit sine loco. Imo Calvinus ipse in 7. act. & Eph. 4. Calvinus scribit Eliam & Enoch esse extra & ultra omnes cælos, ubi teste Aristotele, nullus locus physicus cogitari potest. Nonne peribit, cælum? la consensio nonne terra? nonne omnis physica localitas? & tamen manebunt sionis corpora & alicubi erunt. Iulius Scaliger Philosophus acurissimus ait: Locus non est de essentia corporis, nec accidens necessarium. Primum enim cælum in loco non esse pro confesso accipiunt omnes, quod tamen corpus aliorum corporum regula est.

LXXXI.

Quid igitur nos Essentiam humanæ naturæ abolere garrunt, quoties Christum secundum humanam naturam ratione τῆς ὑποστάσεως, in qua subsistit, extra omnem loci rationem ubique præsentem esse asserimus?

B 3

Paulo

LXXXII.

16. Paulo apparuit Christus in via prope Damascum act 9.17. Stephanus videt eum stantem & ad opem ferendam promptum & expeditum, act 7. (a) Falsum est igitur eum caelo ita capi, ut extra illud ante extremum diem neque sit, neque esse possit. In exegesi sacramentaria Curæj Cracouius Christum secundum humanam naturam in caelo re & corpore arrestatum blasphemar.

LXXXIII.

18. Nonne multa in & per humanam naturam, eum ad huc in terris versaretur Christus, facta sunt miracula, æquè naturæ humanæ proprietatem longissimè excedentia, atque Omnipræsentia? Ambulat super aquas, Ianuis clausis intrat & stat in medio discipulorum, transit per lapidem sepulchri mole ingentem & unius hominis viribus immobilem adeoq; obsignatum, ieiunat per 40. dies fit & φαντασθησθαι Ioh. 3. Astat Nicodemo in terris & tamen est in caelis.

LXXXIV.

19. Facillimum ipsi est, cum habeat omnem potestate in caelo & in terra Matt. 28.

LXXXV.

20. Est consolationis plenissimum, non tantum Christum Deum, sed etiam hominem fratrem nostrum, Carnem & sanguinem nostrum nobis ubique adesse, tam in mari quam in terra, omnesq; creaturas in sua manu habere, & uniuersum earum cursum in fratrum suorum credentium nempe usum & emolumentum disponere.

LXXXVI.

21. Ita patres orthodoxi unanimiter docuerunt: Ambrosius in 20. cap. Hebr. Vnus est vbique Christus, & hic plenus & illic plenus. Idem. Licet vbique sis & stans in medio nostrum, non cernaris a nobis, erit tamen tempus, quando uniuersa caro te aspiciet reuerentem.

Cyrillus lib. 12. In Ioh. cap. 32. In singulos partibiliter transiens unigenitus & animam atque corpus eorum per carnem suam sanctificans, impartibiliter atq; integrè in omnibus est, cum unus vbique sit, nullo modo diuisus.

Theophilaetus in cap. 19. Iohannis: Sanctum Christi corpus indiuisibile est, & diuiditur & communicatur in quatuor partes orbis, alium præbens singulis & unius cuiusq; animam sanctificans, cum corpore

(a)
Petro fuit
genti
Roma ap
paret re
ste Ige,
Ippo. lib.
3. cap. 1.
Iohanni
Apostolo
in Patha
mo loqui
tur Apoc.
3. 2.
Constan
tino Ma
gno dimi
tatur
tom Max
entio te
st. Theo
doreto, So
crate, So
zomeno,
Nicepho
ro.

corpore per suam carnem unigenitus & integer in omnibus est ex-
stans ubique.

Oecumenius Ephes. 4. Ascendit supra omnes cœlos, ut omnia
impleret. Et quidem nuda divinitate jam antea omnia implebat:
Incarnatus autem descendit & ascendit, ut unâ cum carne (μετὰ
σαρκος) impleret omnia.

Esa. 6. vestimentum ejus totum chorum implet. Hoc Ambro-
sius explicans: Vestimentum, inquit, Domini est Christi caro, cujus
aspectum nobis subduxit, reliquit aut certitudinem præsentiæ di-
cens: comedite, bibite.

Bonaventura libr. 10. distinct. 10. super Magistrum hæc verba
Innocentij recitat: Quemadmodum Dei filius secundum divinitatem
habet triplicem modum essendi: In omnibus per essentiam, in justis
per gratiâ, in Christo per unionem, Sic corpus Christi localiter est in
cœlo, personaliter in verbo, & sacramentaliter in altari.

LXXXVII.

Concludemus confessione Lutheri hac de re: Credimus, In serm:
quod Iesus Christus secundum humanitatem sit constitutus super o- de sacramt
mnes creaturas & omnia impleat, Ephes. 4. Est igitur non tantum Anno 26.
juxta Deitatem, sed etiam juxta humanitatem Dominus rerum o-
mnium, habens omnia in manibus & Vbique præsens.

De verbis Matt. 18. Vbi duo aut tres &c. In hoc dicto loquitur In colloq:
proculdubio de personali sua præsentiâ, quod in hac persona, quæ
Christus est & dicitur, in omnibus ubique locis esse oportet, simul
Deum & hominem, vel utramque naturam conjunctim ac indivise
ubique, & in veritate præsentem exaudire, operari & efficere, omnia
in omnibus, ut octavus Psalmus profitetur, subjecisti ei omnia sub
pedes ejus, ita ubi una natura est, necesse est alteram quoque esse &
neutra potest ab altera in æternum separari aut divelli.

In Ecclesiasten: Sic Christus quoque extra locum est contra Anno 38.
eos, qui captivant ipsum loco, cum tamen ubique sit. Neque enim
verbum Dei segregatur à carne. Vbi Deus est, ibi & caro Christi est,
sed Deus est ubique. Ergo & Christus quoque ubique est.

LXXXVIII.

Atque hæc de omnipræsentiâ, sequitur de vivificatione carnis De vivifi-
Christi, quam expressis verbis ipse profitetur 1. Iohan. 6. Caro mea catione.
verè cibus est.

Cyrillus.

LXXXIX.

11. Cyrillus lib. 15. in Iohannem: Totum corpus suum uiuifica Spiritus virtute plenum esse, ostendit; Spiritum enim hic ipsam carnem nuncupauit, non quia naturam carnis amiserit, & in speciem mutata sit, sed quia summè cum eo coniuncta totam uiuificandi vim hausit.

XC.

2. Ex unione igitur uiuifica est Christi caro, non ratione meriti tantum, ut Calviniani somniant. Nam Cyrillus disertè affirmat, inde humanam naturam uiuificam esse, quia cum λόγῳ coniuncta sit;
3. Et de vitæ applicatione lib. 11. cap. 22. scribit: Ipsum etiã corpus Domini virtute coniuncti Verbi, sanctificatur, & ad benedictionem mysticam adedò actiuum fit, ut possit sanctificationem suam nobis immittere.

De omniscientia.

XCI.

Ed etiam impietatis progressi sunt Calviniani ut Christum secundum humanam naturam quam plurima ignorare, blasphemare non erubescant, planè eodem in luto cum Agnoëtis hæreticis hærentes.

XCII.

Allegant illud Marc. 13. Cæterum de die illo ac tempore &c. obli-
ti pulcherrimi dicti Hilarij de Trinitate: Professio nescitæ diej non
est ignorantis infirmitas, sed tacendi dispensatio.

Nicopho-
rus lib. 18.
cap. 50.

XCIII.

Vel sit sanè, quod Christus ut homo in statu exinanitionis præ-
fertim secundum naturæ suæ proprietatem quædam ignorauerit,
quid hoc ad statum exaltationis;

Lutherus

XCIV.

Nos ob oculos proposita nobis habemus sequentia dicta 1. Coll.
2. In ipso omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi sunt.
2. Ioh. 2. dicitur quod Iesus nouerit omnia, & scierit quid esset in
homine. Idem Matt: 22. Videns cogitationes ipsorum.
3. Ioh. 2. Petrus dicit ad eum: Domine tu nosti omnia.

4. Damas-

4 Damascenus lib. 3. cap. 22. Si verè ab initio incarnationis caro Deo Verbo unita est, aut potius in verbo substitit & extitit & unitatem hypostasis ad ipsum habuit, quomodo nõ perfecte locupletata est omni sapientia & gratia?

Ibid. cap. 21. Humana natura substantialiter non obtinet futurorum cognitionem: Domini autem anima propter ipsam ad Deum Verbum unionem diues facta seu locupletata est, cum reliquis etiam futurorum cognitione.

De adoratione.

XCIV.

TAndem quæritur, an Christus secundum utramque naturam religiosa adoratione ab hominibus rectè ac pie inuocetur.

XCVI.

Caluiniani negatiuam hic mordicus tenent, eamque sequentibus argumentis munire non erubescunt, quorum enumeratio eorundem refutatio erit.

- I. Ier: 17. Maledictus qui confidit in homine & ponit carnem brachium suum, Christus homo, est homo, caro, Christi est caro, Ergo
- II. Caro Christi non est natura Deus, Ergo.
- III. Angelus apoc. 19. & 22. se adorari nõ uult, quod conseruus sit, Christus est conseruus ergo.
- IV. Item Christus est seruus secundum humanam naturam Es: 43. 53.
- V. Caro Christi est Creatura etiam in unione, Ergo
- VI. Es: 42. Gloriam meam, dicit, Dominus, alteri non dabo, Ergo humana Christi natura non adoranda.

Danæj
argumen-
ta in exa-
mine libr.
D. Chem-
nitzii.

XCVII.

Egregia vero argumenta & tanti momenti, ut in ijs soluendis multum desudarit scilicet D. Hunnius, ut gloriatur Danæus horum fabricator.

XCVIII.

Ego ipsorum recitationem, eorundem refutationem esse omnino mihi persuadeo.

C

Euange-

XCIX.

1. Evangelistæ sapissimè narrant quam plurimos religiosa adoratione Christum etiam qua homo est, invocasse & coram sancta ipsius humanitate genua flexisse, ejusque opem implorasse.
2. Ideo ita orant: Iesu fili David miserere nostri Luc. 18. Est autem Christus Davidis filius secundum humanam naturam.
3. Subsistit humana natura in hypostasi divina & adoranda.
4. Estque Christus noster Mediator non tantum secundum divinam, sed etiam secundum humanam naturam 1. Tim. 2.
5. Consort facta est throni omnipotentiae & majestatis divinæ, ut supra dictum est.
6. Philip. 2. Datum est Christo secundum humanam naturam nomen supra omne nomen, ut in nomine Iesu omne genua flectatur cœlestium, terrestrium & inferiorum.
7. Christus secundum humanam naturam tentatus est, Ergo tentati ad eum etiam currere & ipsius opem implorare debent Hebr. 2. & 4.
8. Stephanus adorat Christum, quem stantem videt, jam jam, lapidibus obruendus, inquit: Domine Iesu suscipe spiritum meum Act. 7.
9. In extremo die exercebit iudicium, quia filius hominis est, Ioh. 5. nonne coram sancta ejus humanitate tunc genua flectentur?
C.
10. Ita Athanasius oratione V. contra Arrianos: Cognoscant tandem Arriani, nos qui Dominum in carne adoramus, non creaturam adorare, sed creatorem corpore creato indutum.
Ambrosius de Spiritu sancto lib. 3. cap. 12. Angeli adorant non tantum divinitatem ejus, sed etiam scabellum pedum ejus, quia scriptum est: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Et paulò post: Itaque per scabellum terra intelligitur, per terram autem caro Christi, quam hodie quoque in mysterijs adoramus, & quam Apostoli in Domino Iesu adorarunt.
Aug: tractatu in Iohan: Ego dominicam carnem, imo perfectam in Christo humanitatem ideo adoro, quia Deitati conjuncta est.

μὴν τῆς Νεφέδος





Theses de animarū statu post mortem.

Theses de Ecclesiā triumphante.

De sanctorū reliquiis et imaginibus eorū cultū, ceterisque eo spectantibus.
Them. Theol. de Sacramentis in gr̄.

De notitiis Dei et voluntatis ipsius humanis animis nā infitis et discipli-
nā ex cultis, D. Hofmanni, B.

Thesi de iustificatione hominis peccatoris coram Deo D. RUNGII.

Prop. de iustificatione contra Flacianos Joh. Ferriarii.

Assert. Theol. de iustificatione hominis coram Deo, Polyc. LYSERI.

Prop. repetentes summa de iustitiā fidei ab opibus, M. Helsen, & M. Berzii

De Ecclesiā triumphante in caelis disputationes 2, quā una de sanctorū in vitā aeter-
nā habitudine agit M. Volkmari, altera de sanctorū cultū agit, M. Cameri.

Disp. de Providentiā Dei Wolfii.

Disp. 1. de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. in quā explicant. p̄st. 3.

1. qd fit qoz Magoz, Babil, Mesed, 2. qd p̄ se vocab. Turca significant
3. qd Turca sint flagella quos D̄s castigat Ecclesiam. D. Salom. GESNERI.

Disp. altera de Turcā ex c. 38 & 39 Ezecb. tota in refutando duobus cap. posita, qd GESNERI.

Disp. 2. de Turcā, in qua tractat 1. de tempore ultima irruptionis Turcā in Ecclesiam. 2. de populo ad
loco dōm ubi ista evenient. 3. Cuias ob cuias Turca Christianis immittat. 4. Cuias rāone fit repri-
mend. 5. Quo pacto et q̄ armis tandem medietate fuerit delendi, qd GESNERI.

Prop. de Ecclesiā, HUNNII.

Thesi de Predestinatione D. FREDERI.


Dis. de reali communicatione idiomatum in unā Personā Christi, M. Berndes.

Dis. de Baptismo capite papia D. RUNGII.

Thesi de Sacramentis in gr̄ GESNERI.

Them. Theologica de orali corporis Christi in cenā manducatione dictis Eucharistia D. GESNERI.

Them. Theol. de communicatione idiomatum reali tertii gr̄i, D. GESNERI.



41

DOCTRINA
DE REALI COMMUNI-
CATIONE IDIOMATVM IN PER-
sona Iesu Christi, planis & perspicuis thesi-
bus orthodoxè exposita, & verbali seu
fictitiæ Calvinistarum commu-
nicationi opposita

M. HENRICO BERNDES
Ecclesiastæ VVismariensi.

VVITEBERGAE,
Typis M. Georgij Mullerj, Anno 1596.

